

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

einmahl erschlagen worden / ein anderer an sein statt geordnet / GOTT geb/das es auch nit ein freßender Seelen-mörder und Wolff sey / bitt auch freundlich / wollen zu der Ehr Gottes und seiner Wohlsarth Euch meinen lieben Sun und seinen Praeceptor, als ein Christlicher Vatter / lassen bevohlen seyn / dann Euch zu dienen bin ich sunders geneigt. Datum in Eil den 3. Januarii/ Anno 1567.

**Erasmus von Benningen/
zu Rungspach.**

XII.

S in Domino. Cum hoc ineunte novo anno, ego tibi, reverende vir, pater & compater suavissime, ex animo, tuæ publicæ & privatæ Ecclesiæ faelicissima quæque præcor. Et opto, ut canities tua veneranda Ecclesiæ vestræ quam diutissimè sit superstes. Ago simul officiose gratias, quod doctis & copiosis tuis literis per Georgium Hohenloher, me veterem amicum tuum, tam amanter salutaris. Agnosco in hoc mihi gratissimo officiorum genere singularem tuum erga me candorem & amorem: cum primis verò mihi gratulor, me tibi, nec non reverendis viris, collegis tuis, Dominis & fratribus in Christo suspiciendis & venerandis, animò nondum excidisse; sicut & ego vestri, nec non Ecclesiæ & Scholæ vestræ nunquam non apud nostros honorificam facio mentionem.

Cæterum quod concionem meam, quam hîc urgentibus sic Dominis & aliis viris bonis curavi imprimi, tanti facis, nequaquam aut eruditioni, aut ordini, aut simplicitati, quæ in ea tu plurimum celebras, sed cæco tuo, pio tamen & paterno, erga me amori tribuo. Vix enim umbram mihi videor assecutus earum, quas tu huic concioni tribuis, laudum. Publicabitur autem propediem concio altera, Recapitulatio videlicet concionum contra novem capitalia vitia, & exemplar habebis; postquam fuerit impressa. Et certè nescio quam gratum mihi fuerit nuncium, quo intellexi, primam concionem meam apud vos denuo impressam. Spero veteres meos auditores satis intelligere, quid quæram aut quo spectem. Et loco magni beneficii duco, divinitus ita factum, ut hæc concio apud vos legatur & probeatur, qui hætenus multorum iniquo iudicio & detestandis conviciis fui expositus.

Catechismus pro Ecclesia nostra jam apud nos est sub prælo: In quo quantum fieri potuit, accommodavi me ad normam Ecclesiæ vestræ & sicut aliquando minister fui indignus, ita semper ero & amator & fautor.

Tomum primum Conciliationum locorum S. Scripturæ pugnantium ex libris D. Augustini conscriptarum, misi jam Norimbergam ad Typographum

Joannem Montanum. Eam ad proximas nundinas Francofurtenses videbis. Sic in summis alioquin occupationibus meis, nunquam à laboribus mihi temperare possum.

Vestram Ecclesiam à sœdissimo papatu mirabili fato liberatam gratulabundus audiui, utinam pari ratione Schola liberaretur homine Italo, qui totus in hoc incumbit, ut Zwinglii zizania purissimo agro vestro inserat. Et certè vereor, recrudescentibus jam palam vulneribus Sacramentariis, hunc hominem aliquantò apertius sese proditurum. De collegis meis in urbe & agro, hoc coram Deo affirmare possum, neminem ex illis vel in minimo de hoc veneno suspectum esse. Et constanter nos opponere depravationi Zwinglianæ. Ad turbas, quas movet Elector Palatinus, hominis demortui scripta contra jus publicans, nemo sese opponit. Et certe vestrum esset, tanquam eorum, qui præstantissimæ & liberæ civitati inservitis, publico scripto huic malo vos opponere. Et vereor, ne sicut *καρποφυλακὴ πολλὰς φιλίας διίλυσε*, sic eadem multas Ecclesias sit perditura. Nulla est communicatio amplius inter Ecclesiæ præcipuos ministros, sed unicuique liberum pro placito & portentosos quosque errores confingere, & aliis eos obtrudere. Hoc malum, mihi crede, turbabit, dissipabit, imò vastabit Ecclesias Germaniæ. Hæc copiosius tecum, tanquam cum eo, qui vulnera hujusmodi Ecclesiæ & videt & deplorat, conferre volui. Misereatur autem nostri Archipastor, Dominus & liberator noster, filius DEI, & faciat tandem, ut ex multis fiamus unum.

Scripti superioribus septimanis ad te, nec non ad D. D. Marpachium & M. Erythræum literas communes, pro impetrando apud Senatuum vestrum testimonio legitimæ nativitatæ, tribus liberis meis. Et quanquam jam scribat D. Flinnerus, huic meæ petitioni per vos satisfactum, tamen quia nec Magistratus, nec vestras literas video, adhuc pendeo hæsitabundus.

Nova apud nos nulla sunt, de quibus certiora vos non habeatis. Bene & feliciter vale. Univerfa familia mea, socrus, uxor & liberi, te tuosque omnes & reverenter & officiosè & (ut ipsi mandarunt) plus millies te resalutant. Ulmæ 3. Januarii Anno 1561.

Humanitatæ tuæ amantissimus

Rabus, D.

Te denique amanter rogo & oro, ut ab hoc scribendi officio deinceps non cesses: Gratissima enim mihi semper erit vel minima litera abs te missa.

Diacono tuo D. Negelino meo nomine nunciato quæso amicam salutem: Et quia absque dubio de salute patriæ st sollicitus, ipsi pro bono novo indicato:

2

cato:

catō: habuisse nos jam præterita die Nativitatis filii DEI, cœnam tam frequentem, qualis non fuit (ut constanter ex Dominis & aliis viris bonis adivi) à tempore prædicati Evangelii. In qua & ego ago gratias Domino meo. Publicè enim & fortiter resisto Zwinglio, & multos per DEI gratiam ad cœnam invito, qui toto vitæ tempore, aut annis 10. 20. 30. nunquam communicarunt. Dominica ultima Decembris, quæ fuit 29. ejusdem, indicavi Ecclesiæ meæ, nos in proclamandis & benedicendis nuptiis, nec non in annorandis infantibus baptizatis, cum, qui apud vos est, secuturos ordinem. Et ad annum futurum conciones funebres, in choro summi templi inchoaturos. Dominus piis his conatibus clementer adsit & ministerium meum & vestrum ad gloriam nominis sui gubernet.

Inscriptio:

*Reverendo viro, eruditione, pietate & virtutibus præstanti,
Domino Joanni Lengliano, Ecclesiæ Christi apud Wilhelmitas in
inçlyta Argentinâ Pastori fideli. Domino & compatri suo honorando.*

XIII.

S In Domino, nec non fœlix auspiciū hujus anni tibi & tuis, clarissime D. Doctor, amice observande, ex animo precor. Scripsi superioribus mensibus ad te, nec non ad D. Lenglinum & etiam Erythræum, propter testimoniales literas de legitima nativitate trium liberorum. Nescio an eas acceperis, & quid per vos apud Inçlytum Senatum vestrum effectum sit. Vos tamen omnes & singulos reverenter oro, ut hac in parte mihi gratificari non detrectetis.

Deinde, quia nosti, quas turbas moveat Elector in causa Sacramentaria, expectant optimi quique responsum Ecclesiæ vestræ, maximè cum per vos Ecclesia Heidelbergensis, nec non aliæ illi conjunctæ, sint instauratæ. Et planè mihi persuasi, vos huic fanatico errori constanter opposituros sinceram confessionem. Gallus Ratisponensis scripsit contra Epistolam Philippi: ejus exemplar ad te (quod heic primum accepi) mitto. Satius tamen esset Synodaliter hoc fieri. Et certe sicut ἀπερηγορία ποτὸς φίλιας semper δίδουσι: sic eadem turbabit, imò vastabit Ecclesias nostras. Nulla amplius est communicatio inter præcipuos Germaniæ Theologos: quod malum certè deplorandum. Bene & fœliciter cum honestissima conjugè tua & liberis, quos nostro nomine reverenter salutabis, vale. Optimum & clarissimum virum D. Joannem Sturmium, Rectorem, meo nomine officiosè saluta. Et scribe, quomodo vobis cum vestro

Zan-